



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXI. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Matthæus è divite publicano Apostolus, qui apud Parthos ac Æthiopes draconibus imperavit, Regem baptizavit, & ejus Filium à mortuis suscitavit; dum sic Christum gentibus inculcat, etiam debitum MARIÆ cultum propagat, ejusque imagines venerandas decentibus locis proponit, cujus diversa etiamnum monumenta exhibet Æthiopia. *Euseb. hist. Rarum miraculum: dives salvus.*

S. Matthæe ora pro me ut affectum à terrenis abstractum, in DEUM, ejusque Matrem sincerè amandam convertam; promptè omnia, propter quæ his displicere possem, deseram, ut in omnibus sanctam, puram, simplicem, & Deiformem intentionem habeam, nec aliud quæram, aut desiderem, quàm JESU placere & MARIÆ. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili, &c. *f. 190.*

Ad quod impetrandum: Cùm legendum occurrerit hodie Mariæ nomen, illud nudato capite venerabor.

Quis est super quem sol non luceat? quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat? *S. Bonav. c. 8.*

Quæstio: An S. Matthæus Evangelium à Maria acceperit? *v. Euseb. c. 1.*